



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAENON NOBISVENERABILI DEI SERVO ANTONIO MARIAE SCHWARTZ

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. - « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc et usque in saeculum » (Ps 115, 1. 18). Dioecesis Vindobonensis sacerdos, Antonius Maria Schwartz, « Congregationis pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio » fundator, undevicesimo exeunte saeculo, verus in Austria exstitit propheta ad Ecclesiam augendam fidemque roborandam. Vocem Domini attente et fideliter exaudiens, Sanctique Spiritus afflatus sensibilis ac vigil interpres, postulata et implicatas suae aetatis quaestiones auscultavit, potissimum vero operariorum, praecipue iuvenum, discessum a fide seu ab Ecclesia propter conflictus oeconomicos-sociales dolenter percipiens, opportuna remedia eis omni conatu praebere statuit. Die vigesima octava mensis Februarii anno MDCCCLII Badeniae, in Austria, natus est, quartus ex tredecim fratribus. Pater eius opus in servitium Municipii agebat et artem musicam in theatro exercebat, mater autem rem domesticam ministrabat. Primariam instructionem apud scholam paroecialem Badenianam, eantus scholam apud Sanctam Crucem, gymnasium vero apud sic dictos o Scotos » frequentavit. Post aliquod difficultatis tempus, quo pater eius mortuus est (anno MDCCCLXI), scholam Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ingressus est, ubi usque ad curriculi studiorum absolutionem mansit. Eo tempore in Sanctum Iosephum Calasanctium, praefati Ordinis fundatorem, profunda veneratio in corde suo orta est, quae deinceps per totam eius vitam amorem erga iuvenes egenosque inspiravit. Mense Martio anno MDCCCLXXI Vindobonense Seminarium Dioecesanum ingressus est. Viginti et unum annos natus haec scripsit: « Probe scis, Iesu, me omnia facere ardenti animo desiderare, quae me ad sanctitatem perducant. Noli me derelinquere, sed parce peccatis meis et in corde tuo divino me conserva ». Dum in Seminario esset sodalium quoddam, o Amoris vinculum » vocatum, cum aliquibus Seminarii alumnis instituit, qui omnes sese ad disciplinam absolute observandam astrinxerunt. Bis morbo correptus, eoque liberatus Beatae Mariae Virgini se devote addixit atque die octava mensis Decembris anno MDCCCLXXIII nomen Mariam proprio suo nomini adiunxit. Die vigesima quinta mensis Iulii anno MDCCCLXXV a Cardinale Iosepho Otmaro Rauscher sacerdotalem ordinationem laeto pioque animo suscepit. Post quattuor annos in parvo oppido uti Cappellanus transactos, Antonius Maria Vindobonam vocatus est ut in valetudinariis Sororum Misericordiae curam spiritualem aegrotorum gereret. Hoc sacerdotale ministerium exercens, iuvenum operariorum necessitates clare perspexit et in eorum beneficio sodalicium operariorum catholicorum sub Sancti Iosephi Calasanctii patrocinio fundavit, iisque assiduum curam pastorem dicavit, quae mox magis magisque increvit. Anno MDCCCLXXXVIII diarium pro operariis opificibusque condidit, quod quidem diu ipse fere solus scripsit. Anno post, intra sex menses, eo moderante, templum Sancta Maria Auxilium Christianorum » vocatum, erectum est, primum quidem Vindobonae in servitium operariorum institutum, in quo tandem die vicesima quarta mensis Novembris eiusdem anni « Congregationem pro Operariis Christianis a Sancto Iosepho Calasanctio » fundavit. Vastissimam » esse, aiebat P. Schwartz, huius Congregationis messem. Ii profecto,

quos ipse ad amorem Dei et ad vitam Deo dignam ferendam trahere cupiebat, vere pauperes seu indigentes erant. Operarii enim tunc temporis nullo syndicatus vel legum auxilio fruebantur ad tempora laboribus dedicanda iuste et humaniore modo moderanda. Sed et pueri quidem duodecim horis cotidie, die quoque dominica, laborare debebant. Non solum autem adversus hos abusus ipse Antonius Maria omni ope contendit, sed et iuvenum operariorum christiana institutio, quae humanam etiam formationem secum ferret, prorsus cordi eius erat, ut opificum labor et vita digniores evaderent et iniqua socialis condicio in melius mutaretur. Primam sedem seu officinam ad laborem inveniendum ipse pro iuvenibus condidit, cuius subsidio complures profecto reppererunt ac digniorem condicionem laboralem dominicamque quietem in tuto consequi potuerunt. o Animam meam tolle; ipsa enim tua iam est! » Verba haec magis magisque vera in eius vita fiebant. Eius anima, vivida ac ardenti fide Domino consecrata eique in sacrificium pro bono potissimum dilectissimae Austriae dicata erat. Prophetam vero eiusque rationes non multi audire voluerunt. Pauci revera ipsius incepta sunt secuti quae monita litterarum Encyclicarum Rerum novarum Leonis Papae XIII praecedebant simulque adimplebant. Ideo, quamvis indifferentia multorum vel malevolentia et ignoratione dolenter affectus, firmus tamen in suo proposito mansit, fidelisque semper vocationi suae usque ad mortem. Tandem, nimia operositate defatigatus, itemque quotidiana et ardua sollicitudine affectus in moderanda vel gubernanda Congregatione quam fundaverat, veneratione et fama sanctitatis saeptus, die decima quinta mensis Septembris anno MCMXXIX ex hac vita migravit. Multitudo ingens, etsi urceatim plueret eius funeri devotissime interfuit. Beatificationis et canonizationis causa anno MCMXLIX apud Vindobonensem Curiam episcopalem est introducta. His quae a iure praescribuntur peractis, Nos die vigesima prima mensis Martii anno MCMXCV declaravimus Dei Servum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse. Item, coram Nobis die quinta mensis Maii anno MCMXCVIII decretum probatorium super miraculum prodiit, quod anno MCMLXXII Vindobonae accidit. Statuimus ergo ut Beatificationis ritus ibidem, cum Austriam inviseremus, die vigesima mensis Iunii anno MCMXCVIII sollemniter celebraretur. Hodie igitur Vindobonae, inter Missarum sollemnia, hanc ediximus formulam: « Nach Beratung mit der Kongregation für die Selig- und Heiligsprechungen erfülle ich gern die Bitte meines Bruders Christoph Kardinal Schönborn, Erzbischof von Wien, und vieler anderer Brüder im Bischofsamt sowie zahlreicher Christgläubiger. Ich gestatte kraft meiner Apostolischen Autorität, daß die ehrwürdige Dienerin Gottes Maria Restituta Kafka und die ehrwürdigen Diener Gottes Jakob Kern und Anton Maria Schwartz künftig Selige genannt werden. Das Gedächtnis der seligen Maria Restituta soll alljährlich am 29. Oktober, das Gedächtnis des seligen Jakob Kern alljährlich am 20. Oktober und das Gedächtnis des seligen Anton Maria Schwartz alljährlich am 17. September an den Orten und in der Weise gefeiert werden, wie es die Vorschriften bestimmen. Im Namen des Vaters und des Sohnes und des Heiligen Geistes. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet. *Datum Vindobonae, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Iunii anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card. SODANO © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana